,, Iſte Beatricem Federicus donat habere
,, Huic Bonifatio, qui Dux cum pergeret illo
,, Ornatus magnos ſecum attulit atq; Caballos &c.
,, Nobilis & Coniux puerum peperit Federicum
,, Inde Beatricem, Malchildis verò deindè.

Ex Diplomatibus, Inſtrumentis, & Domnizone inſimul' iunctis deſcendentium nomina in Arbore relata probãtur, ſed nihilominus ſingillatim omnia ad hiſtoricam trutinam reuocanda ſunt, vt certior quo fieri poteſt in re antiqua Mathildis conſanguinitas ab ipſis expetita Imperatoribus lucem aſpiciat,

I. Sigefredus in Stemmate primus Natione, non autem ex electione Longobardus Natus eſt anno 896. in Comitatu Lucenſi, vt aſſerit Ioannes Baptiſta Pigna de Principibus Atteſtinis in princ. Bonauentura de Angelis in hiſtoria Parmæ lib. p°, Carolus Sigonius de Regno Italiæ ad annum 896. At Franciſcus Maria Fiorentinus in memorijs Mathildis lib. 3. natum affirmat circa annũ 970. Inſuper Sigonius Sigefredum vocat Comitem, genus ducentem à Principibus Atteſtinis, & tradit in agro Regienſe Caſtra, & poſſeſſiones comparaſſe, & Parmã in deditionem accepiſſe, non tamen declarat, an eſſet Comes Atteſtæ, vel alterius Caſtri. Bonauentuta Sigefredum appellat Comitem Parmæ, narratq; Ciues Parmenſes ãno 896. Saracenorum incurſibus territos confugiſſe ad Sigefredum Regij commorantem; eumq; ob ſuſceptam Parmæ defenſionem; fuiſſe ab iſdem ea Ciuitate donatum, & titulo Comitis decoratum; Sed Bonauentura ſui videtur oblitus, nàm ipſe natum aſſerit Sigefredum anno 896. ex quo affirmat deceſſiſſe anno 945 dum annum ageret quadrageſimum nonum, igitur

Sige-